



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1595. usque ad annum 1600

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1773

VD18 90118677

§. 11. Variæ Clementis VIII. Constitutiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67263)

§. XI.

Sæcul. XVI.
A. C. 1596.*Variae Clementis VIII. Constitutiones.*

Hoc item anno Clemens VIII. Papa varias pro restauranda Ecclesiæ disciplina Constitutiones edidit, quarum prima die decima Februarii statuit, ut pro ritibus a summo Pontifice servandis liber, qui vulgo *Pontificale Romanum* vocatur, recognitus, atque emendatus typis edatur, nulloque pacto immutetur: cetera autem omnia alia Pontificalia supprimantur: II. Die vigesima tertia ejusdem Mensis præcipit, ut Concilii Tridentini decretum Sess. 25. cap. 4. de Religiosis extra claustra notorie delinquentibus exacte observetur, ubi simul mandat Pontifex, ut, si Superior talem Religiosum punire negligeret, vel impunitum extra Episcopi Diæcesin, ubi deliquit, mitteret, illum sistere teneatur: si vero non paruerit, Episcopus, ad quem confugit, hunc Religiosum punire valeat. III. Diplomate postrema Februarii die edito mitigat Constitutionem Sixti V. contra Clericos vitiose promotos. IV. Exstat alia ejusdem Papæ Constitutio die vigesimo sexto Julii edita, qua prohibetur, ne Itali extra Italiam habitent in locis, ubi liber, & publicus Catholicæ Religionis cultus non existit. V. Alia Con-

Bullar. t. 3.
Const. 38.
et seqq.

B 4

stitutio-

Sæcul. XVI. A.C. 1596. stitutione die tertia Septembris coercet Congregationis Camaldulensis Ordinis S. Benedicti Monachos, eorumque complices, qui hujus Ordinis officia, & dignitates ambiunt. VI. Die nona ejusdem Mensis alio diplomate statuta eduntur pro bono regimine Congregationis Fratrum S. Joannis de Deo per universam Italiam. VII. Hic idem Pontifex die duodecima Octobris novo diplomate confirmabat, declarabatque Constitutionem, quam Gregorius XIII. Papa circa reformationem Fratrum Minorum S. Francisci pro Italia, Francia, & Belgio olim ediderat. VIII. Denique postrema Bulla prohibuit Clemens, ne Fratres Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis captivorum, nequidem sub quarti voti prætextu, vel indulto imposterum Fratres Minores sancti Francisci de observantia, aut alterius strictioris Ordinis Professos recipiant: declarat autem Pontifex, quod Ordo Fratrum de Mercede propter quartum votum pro religione strictioris Observantiæ, ad quam alias ejusmodi transitus est permissus, haberi nequeat.

§. XII.

Juvenis Condæus Princeps, ejusque Mater ad Religionem Catholicam conversi.

Interea